


EMBLEMA XXV.

EDUCATIONIS VIS.



*Regis Spartani videoas canes,
Stirpe pari, munere dispari.
Hic doctus nemoris fuit;
Alter ferre fasces conscius exit.
Tantum prima crepuscula
Vitæ haurire valent: Figit Principes
Rectam Infantibus indolem,
Disciplina est animorum melior parens.*

COMMENTARIUS.

1 Uamvis Principes justè Regnantes, multum sibi de Divinis auspiciis & auxiliis promittere possint, & debent, ut in praecedenti Emblemate vidimus; non ideo tamen parentes, vel præceptores, quibus ipsorum cura in teneris annis incumbit, ab omni studio & diligentia desistere debent, quo, quavè eorumdem mores animumque, jam etiam ab illa ætate, & primis, quod ajunt, incunabulis, Sceptro, ac Solio, quod eos manet, dignos atque idoneos efficiant, & Regis monitis, salutaribusque præceptis ac documentis informent.

2 Etenim cum in omnibus quidem hominibus, tenella, & nova puerorum ingenia, hanc severæ disciplinæ, & educationis curam legemque desiderent, ut latissimè Plutarchus (*a*), & alii

(a) Plut. de educ. lib.

alii (*b*), qui de hoc peculiares tractatus scriperunt, edisserunt, ne aliter ætas ista, cœræ haud multum absimilis, ardore voluptatis facilimè liquescat, citissimisque passibus in malorum morum perniciem ac ruinam prolabatur.

3 In Principibus quidem, quò major & excellentior eorum dignitas est, quoque nocentior esse poterit, si in malum degenerent, eo plus cautioni adhibere oportebit, ut passim jura nos admonent, & uno pariter ore Auctores omnes, qui de institutione Principum agunt. Inter quos Joannes Casus (*c*) rectissimè inquit, quòd si educatio in Principe negligatur, *Inſtituta malorum monstra nascuntur in civitate; licentia morum, jactura rerum, familiarum ruina, sentina vitiorum omnium, denique malorum quasi gebenna.*

4 Et Erasmus (*d*), eadem mala, quæ à neglecta bona eorumdem educatione procedunt latius exagerans, ita habet: *Quid enim boni efficere potest ille Princeps, qui ab ipsis statim incubulis, stultissimis inficitur opinionibus, enutritur inter stultas mulierculas, adolescit inter lascivas puellas, inter collusores perditos, inter abjectissimos assentatores, & inter scurras, & imidos, inter combibones, & aleatores ac voluptatum architectos, juxta stultos nequam, inter quos nihil audit, nihil discit, nihil imbibit nisi voluptates, delicias, fastum, arrogiantiam, iracundiam, tyrannidem; atque in hac schola vox adhibetur ad regni gubernacula.*

5 Hieronymus etiam (*e*) Ossorius multus & elegantissimus est in eadem bona educatione Regiorum Filiorum desideranda, & in sequioris malis, & ærumpis enumerandis, quæ eos, inquit, molles, languidos, alienæ virtutis invidos, stultos, crudeles, arrogantes, avaros, laboris impatiens, & ad omnem luxum ac libidinem proclives reddit. Et post alia concludit, quòd cum due virtutes, nimis animi magnitudo, & pudoris ac modestiæ concinnitas, omnibus ingenios hominibus sint necessariae: *Necesse maximè erit, ut sic educentur Regum filii, ut fortissimi simul atque modestissimi disciplina fiant: aliter enim omnia corrulent, atque funditus interibunt.*

6 Et ad hanc vim & potestatem bona vel mala à teneris animis institutionis, & educationis significandam, & Regum mentibus insinuandam, præsens hoc nostrum Emblema dirigitur, ex vulgata quidem, sed semper magni facienda, Lycurgi Spartanorum Regis, sive Legislatoris historia desumptum, quam Plutarchus (*f*), Valerius Maximus (*g*), Suidas (*b*), Cœlius Rhodiginus (*i*), Erasmus (*k*), & alii suis scriptis referunt, & extollunt. Hinc enim, cum inter alia documenta, quibus conatus fuit suos Lacedæmonios à moribus presentibus ad temperatiorem vivendi rationem traducere, eosque virtutis & honestiæ studiosos reddere; eximian hanc curam rectæ filiorum educationis, ut valde necessariam, pluribus commendasset, ad eos magis in hoc suadendos, & accendendos, duos educavit catulos, eodem patre matreque progenitos, quorum alterum passus est domi lautoribus vesci cibis, & ut addit Rhodiginus ore lucernas ferre, alterum eductum venatibus exercuit. Dein civibus suis ad hoc convocatis, ambos apud multitudinem in forum produxit, positisque illic spinis piscium, & aliis gullæ irritamentis, mox emisit leporem, quo fugiente, cum uterque ex canibus ad assueta ferretur, lucernarius quidem ad escas accessit; at venaticus alter, & qui generosus spiritus alunt, laboribus innutritus, leporem invasit, & cepit. Quo facto Lycurgus ad suos conversus: *An non videbis, inquit, duos catulos cum ejusdem sint generis, tamen ob diversam educationem admodum dissimiles inter se evasisse, plusque ad honestatem momenti habere exercitationem, quam naturam. Proinde ne novis quidem, ò cives nobilitas, quam miratur vulgus hominum, ductumque ab Hercule genus profuerit, nisi ea gesserimus, per quæ mortalium omnium ille nobilissimus & generosissimus evasit, ac per omnem vitam, quæ honesta sunt, & discamus, & exerceamus.*

7 Ad quam etiam historiam respiciens Battilius Labæus (*l*), post hæc scripta à Me visus, aliud Emblema simile huic nostro confinxit, & his carminibus enucleavit:

*En quam diversi nati, ambo parentibus isdem,
Diversa hic animi dant documenta canes.
Venandi ad studium teneris formatus ab annis.
Immissam insequitur dum celer ille feram;
Hic alter contrâ deses nutritus in aula,*

Pro-

(b) Xedophon. in Cyripad. lib. 1. cap. 3. & seqq. Joan. Casus in Thér. æeon. lib. 2. cap. 2. Cardin. Sadoler. in lib. de educ. Ego, qui plurimis alios cito 2. tom. lib. 1. cap. 26. ex num. 63. & novissimum Schomborn. lib. 1. Polit. cap. 8. de educatione. Cap. ubi periculum, de elect. lib. 6. l. 1. \$, sed etsi, D. de carbon. ed. cum aliis.

(c) Joan. Casus ubi sup.
(d) Erasm. in lib. de instit. Princ. apud Canonher. in Aphorit. 1. tom. pag. 445.

(e) Ossor. de Reg. institut. lib. 2. & 3. per 10.
(f) Plut. in Lycurg. & in Apoph. lacon.

(g) Valer. Max. lib. 2. cap. 6.

(h) Suid. verb. Lycurg.

(i) Rhodig. lib. 20. cap. 2.

(k) Erasm. lib. 1. Apoph. & in Adag. Annus producit non ager, pag. mibi 219. ubi quod educatio naturam vincit.

(l) Battilius Labæus Emb. 36.

Projectos rapido dum petit ore civos.
Sic genus excollitur studiis, sic degener exit
In vitium inculta nobilitatis bonos.

8 Quod Lycurgi Apophthegma, secutus videtur Horatius (m), dum monuit: Adolescentium mentes asperioribus studiis esse formandos, quia

Quo semel est imbuta recens, servavit odorem
Testa diu.

Et magis ad rem alibi (n) inquiens:

Venatus ex quo
Tempore cervinam pelle latravit in aula,
Militat in sylvis catulus.

9 Et quemadmodum tractanda est cera cum molissima est, & virga si curva sit, dum virga est, in eam formam flectenda, quam ei perpetuum esse velimus, aliqui frangas ciuius, quam corrigas, cum jam in pravum induruerit. Quo respicit illud Ovidii (o), ex quo in rem nostram Schoonhovius (p) aliud Emblema deduxit:

Quae præbet latas arbor spaciabitibus umbras
Quo posita est primum tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure revelli,
Nunc stat in immensum viribus acta suis.

Ad quod citare potuit Cassiodorum (q), eleganter idem ipsum his verbis præferentem: Leve fit opus, quod in teneris arboribus adhibetur. Nam quæ nunc virgultæ sunt, erunt, si negligantur, & robora. Ista enim quæ modo facili avulsione dirimuntur, postea vix securibus ita succumbunt.

10 Ita præcipuus labor jam inde à teneris, liberorum correctioni, & rectè educationi impendens est, hæc enim bona, bonos efficit; mala, malos, & si serò adhibeatur, viuus jam in naturam, & morem conversis, nihilum proficiemus, & ut ait Horatius (r):

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

11 Cum ex adverso nihil sit, quod non rudibus adhuc & vacuis animis imprimi possit, ut egregiè noster D. Didacus Saavedra (s), post alios animadvertisit, pictoria tabella rasa, seu alba, ut dicunt parma, proposita, cum lemmate, Ad omnia, sic ostendens, institutione non deficiente, pueros omnium esse capaces; verèque dicere potuisse Platonem (t): Ex hoc posse cognosci animas immortales esse, atque divinas, quid in pueris mobilia sunt ingenia, & ad percipiendum facilia. Et Senecam (u). Omnibus natura fundamenta dedit, semenque virtutum, omnes ad ista omnia nati sumus, cum irradiator accessit, tunc illa animi bona, velut sopita excitantur.

12 Quibus magis adhuc congruit illud Antisthenis apud Laertium (x), qui cum filium cuiusdam suscepisset erudiendum, rogatus à parente, quibus rebus opus esset, libro, inquit, novo, novo stylo, nova tabella. Sic innuens, rudibus & vacuis adhuc ingeniis, ut cœra vacue, & molli, & nec dum exaratæ, quidlibet facilè imprimi posse.

13 Testatur hoc Seneca (y), sic apitissime inquiens: Educatio maximam diligentiam, plurimumque profuturum desiderat: facile est teneros aducere annos componere, difficulter rescinduntur vita, quæ novis cum creverunt. Nihil magis facit iracundos, quæ educatio mollis & blanda, idè unicis, quid plus indulget, pupillisque quid plus licet, èd corruptior est animus. Non resistet offensio, cuī nihil unquam negatum est, cuī lacrymas sollicita semper mater abstersit. Et iterum alibi (z): Altius præcepta descendunt, quæ teneris imprimuntur etiatis. Si præcepta nihil adjuvarent, omnis institutio tollenda est ipsa natura contenti esse debemus. Erras, si existimas nobiscum via nasci, supervenerunt, ingesta sunt.

Tes-

(m) Horat. epist. 2. lib. 3.

(n) Idem Horat. quem etiam vide lib. 3. od. 2. ubi late

Chabotius.

(o) Ovid. in lib. de remed. amand.

(p) Schoonh. Emb. 46. pag. 139.

(q) Cassiod. lib. 5. epist. 38.

(r) Horat. lib. 2. saty. 2.

(s) Saaved. in Id. Polit. pag. 8. Emped. 2.

(t) Plat. de anim.

(u) Senec. epist. 10.

(x) Laert. lib. de vita Philosoph. in Antisthen.

(y) Senec. lib. 2. de ira, cap.

(z) Idem Senec. de Consol. ad Helv. cap. 1c. 83 in epist. 94.

14 Testatur & Aristoteles (a), seriò monens, educatos rectè à parentibus, per sanctos & justos mores, bonos merito evasuros, & Plutarchus, qui non contentus plura circa hoc in libro de educatione liberorum dixisse, agens alibi de Themistocle (b), inquit: Themistocles, quoniam adolescens feroci mutabilique ingenio videbatur, mirantibus mutatos mores, dicere solebat, asperos, & indomitos pullos, in bonos equos evadere, si quis illis adhibeat disciplinam, reclamque institutionem.

15 Quibus consentiens Apulejus (b) (ut interim plures alios omissam) asserit, hominem, nec perfectè bonum, nec malum nasci, sed utriusque semina ei à natura indita, quæ institutione in hanc vel illam partem emicant. Et Erasmus (c) huc referit Adagium, Annus producit, non ager, quasi recta à teneris institutio, ipsi naturæ, & genitrix præponderet, & illud Hecuba apud Euripidem (d) expendit, & explicat:

Rectè educari, scilicet non nullan habet
Rationem honesti.

16 Et melius in similibus, educationem, agrorum culturæ comparat, quæ si absit, omnia in eis sata necantur, & purgamenta pro fugibus pariunt, & alias etiam præclaras simul similitudines adjecit, quæ dignæ mihi visæ sunt, ut hic ad literam inserantur, sic enim inquit: Ut non satis soli bonitas, nisi accedit & cultus idoneus & semina: ita non sufficit ingenii felicitas, nisi accedit Doctor, & institutor egregius, & præcepta idonea. Ut terra quo melior est natura, hoc magis corrumpitur, si negligatur: ita recta ingenia, nisi rectè escolantur, quo sunt flexuosa, hoc pluribus vitiis abducuntur. Est terra quedam asperior, duriorque, que tamen culta protinus ferax reddatur: sic ingenia duriora natura, institutione mansuescunt. Nulla ferè est arbor, quæ non sterilescat, ac tortuosa sit, si cultura desit. Ita nullum tam felix ingenium, quod non degeneret circa rectam educationem. Nullus equus rectè sessori paret, nisi arte domitus. Ita nullum ingenium non ferox, nisi præceptis circaret, & educatione nulla, tam fera bellua, quæ non mansuescat cura. Ita nullum tam agreste ingenium, quod institutione non micescat. Ut molli matrice facile sigillus imprimitur, si durescat, non item: ita puerorum ingenia facile quanvis recipiunt disciplinam, sin ætate durescant, non item. Ut agricultoribus vallo apponunt arbusculis, quo recte crescant: ita qui instituit, addit monita, & præcepta ingenii salubria, ne devaricent in vita.

17 Sed quorsum in profanis hisce testimonii adducendis distineor, cum nihil fæde sit in Sacris Literis, & libris Sanctorum Patrum, quod frequentius admoneamur. Ecce enim in Proverbii (e) habemus: Ne subtrahas puer castigationem, cum percusseris eum virga non mortetur. Tu virga percuties eam, & animam ejus à sepulcro eripes. Et iterum (f): Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea. Et in Ecclesiastico (g): Filii tuū sunt? Erudi illos, & curva illos à puerorum illorum. Curva cervicem ejus in juventute, & tundit latera ejus dum infans est; ne forte indueret, & non credat tibi, & erit tibi dolor anime. Doce filium tuum, & operare in illo; ne inturpidinum illius offendas.

18 In quæ loca responcio D. Hieronymus (h): Non est (inquit) parvi apud Deum meriti, bene filios educare. Difficulter eruditur, quod nudi animi peribunt; lanarum concilia, quis in pristinum candorem revocet. Et D. Cyprianus (i) dum ait: Quod semel imbibimus, difficulter deponimus: nec propositum nostrum facile mutatur. Qui & ipse alibi (k), quanta sit vis bona institutionis, & disciplinæ, his verbis graviter exprimit: Disciplina custos Spei, retinaculum Fidei, dux itineris salutaris, fomes, ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis. Hanc sectari salubre est, adversari autem ac negligere, lethale.

19 Quem sequutus D. Bernardus (l), non minus appositiè ait: O quam compositum reddit omnem corporis statum, necnon & mentis habitum, disciplina? Cervicem submittit, ponit supercilium, componit vultum, ligat oculos, cachinos cobibet, moderatur linguam, frænat gulam, sedat iram, format incessum.

20 Et hac propter Diodorus Siculus (m) latissimè Charonde Thuriorum Regis legem recentet, & laudat, dum jussit, liberos civium omnes, in ipso ludo, & in primis literarum rudimentis, instituendos tradi, conductis ad id mercede, & ære publico præceptoribus. Perspexerat namque multis jam pridem exemplis admonitus, plerosque vel optimo natos ingenio fore, qui

rei

(a) Arist. lib. 2. econom.

(b) Plut. in vita Them.

(c) Apulej. in Apolog. 1.

(d) Erasm. in Adag. pag. 219.

(e) Eurip. in Hecub.

(f) Proverb. 23. 13. 14.

(g) Eccles. 7. 21. & 30. 12. 13.

(h) D. Hier. in epist. ad Salv. & in epist. ad Lætam 15.

(i) D. Cyprian. lib. 2. epist. 1.

(k) Idem de discip. & hab. virgin.

(l) D. Bern. epist. 113.

(m) Diodor. sicul. lib. 12. quem ad longum transcribit Camerar. lib. 3. subcess. cap. 47. pag. 168.

rei familiaris angustia presi, dum paivatim mercedem præceptoribus solvere non valerent, ob eam singulare, & tam opportuna privarentur institutione.

21 Xenophon (*n*) quoque multis admodum est in referendo, & laudando hoc eodem studio apud Persas, & Athenienses. Et Albanus Spinatus (*o*) commémorat, apud Lacedemonios jure receptum fuisse, ut si præsens, juniorum peccantem non reprehendisset, perinde ac si is deliquisset, plecteretur, & quisquis puerorum institutionem neglexisset jurium civitatis expers esset. Et inde putat ortum habuisse leges (*p*) Imperatorum Romanorum, quæ senioribus propinquos concedant, auctoritate propria juniores levisculis, & minus capitalibus vitiis imbutos, coercent.

22 Plato (*q*) etiam, hæreditatem filiis relinquendum dixit, quæ non grandinem, non vim, non ipsum denique Jovem extimescit, idest Bonam Institutionem. Turpe nimis nū putans, rerum aliarum, ac præcipue agrorum, & pecorum cultui invigilare, filiis autem, ut Crates adiebat, quibus hæc omnia relinquenda sunt, nihil prospicere. Hos enim Patres perinde agere ajebat Plutarchus (*r*), ac si quis de calceo sit sollicitus, pedem verò nihil curet. Qua in re bene dicebat Isocrates, liberis, pudorem magis, quam aurum esse relinquendum.

23 Et quin fortè hæc cura suo tempore exoleverat, merito queritur Cicero (*s*) de parentum, in re adeò utili & necessaria, negligentia, sic inquiens: Nunc autem simul atque editi in lucem ac suscepti sumus, in omni continuo pravitate, & in summa omnium perversitate versamur, ut penè cum laete nutriti errorum suscisse videamur.

24 Et apud Aristæam (*t*), licet ejus auctoritas à Julio Scaliger, & aliis in dubium vocetur, legimus; Ptolomeo Philadelpho Ægyptiorum Regi ex Septuaginta Interpretibus interroganti, quæ esset maxima negligentia? Illos respondisse: Si quis non curat liberos, nec eos educando, quam diligentissime format. Quod dictum convenit cum illo Apostoli (*u*): Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior. Et illum referens Camerarius (*x*), cum Phavorino apud Agellium (*y*), & Michaelae Hospitalio (*z*), contra matres invehitur, quæ filios suos ipse proprio lacte non aluit, nec apud se domi educari patiuntur.

25 Idem etiam sensit, & reprehendit D. Gregorius Nazianzenus (*a*), eos, qui præstantissimam liberorum suorum partem, animum dico, securi incultam relinquunt, non Parentes appellans, sed luti parentes; quemadmodum enim, ut est in Adagio (*b*), Lutum non fit testa nisi tundatur, sic homo non est homo, nisi disciplinis formetur, & ratio in eo promoveatur.

26 Ad quod alludens Scoonhovius (*c*), ursam lingua lambentem, & expolientem catulos, quos informes parit, ut ait Plinius (*d*), depingit, quæ & ipsa ob hanc causam à D. Ambrosio, & Pierio Valeriano, & Sylvestro (*e*), Petra-Sancti (*f*), Patrum, qui lingua filiis erudiant, symbolum esse solet, & ita ait:

En quanto studio rudes catellos
Ursa perpoliat, decentiorem
Donec imprimat, ingeratque formam;
Mortales merito rubore discant,
Qui, neglecto Animi nitore pulchri,
In natis modo sunt luti parentes.

27 Extat quoque integer, & non male dolatus Ambrosii de Morales (*g*) discursus, quo Hispana nostra lingua, spretam apud Nos hanc recta educationis filiorum curam, graviter dolet. Inter alia gravissimum supplicium expendens, quo Heli Sacerdos (*b*), & aliqui in se justus, divinæque legis valde zelator, propter neglectam bonam filiorum educationem, à Deo punitus fuit, & adjiciens (quod valde notandum, ac timendum est) usque ad universale judicium has penas pravae educationis augeri, propter peccandi semina, quæ incuria in hoc nostra, vel pravo exemplo, in liberis, posterisque nostris relinquitur.

Et

- (n) Xenoph. in Cyrip. lib. 3. cap. 7. & seq.
- (o) Spinax. in Polit. lib. 2. cap. 5. fol. 50. Cragius de Rep. Laced. pag. 128.
- (p) L. 1. & per tot. C. de emendat. propinq.
- (q) Plato in lib. de Repub.
- (r) Plutarc. in lib. de educ. liber.
- (s) Cicero 3. Thusc.
- (t) Aristæas in lib. de dñis Japt. interp.
- (u) D. Paul. ad Tim. 5.
- (x) Camer. 3. sube. cap. 51. in fine.
- (y) Agel. lib. 12. cap. 1.
- (z) Hospit. lib. 3. carm.
- (a) D. Nazianz. apud Schoob. ubi sup.
- (b) Erasm. in Adag. pag. mibi 221.
- (c) Scoonh. Emb. 72.
- (d) Plin. lib. 8. cap. 26.
- (e) Amb. & alii apud Pier. lib. 12.
- (f) Petr. Sacra pag. 357.
- (g) Moral. disc. 13. post opera Magistri Olive.
- (h) Reg. lib. 1. cap. 2.

28 Et hercùs, si hæc in quorumlibet puerorum educatione, & institutione ita se habent, satis jam (ut suprà tetigi) patet, quid de Regum filiis, & destinatis ad Imperium Principibus, dicere ac sentire debeamus, qui, ut indomiti equi, potestatem ad quam vocantur, in tempestatem vertent, nisi à tenera aetate lupatis parere discant, & rectæ, sobriaeque institutionis habentis coercent, ex ejus carceribus, ad Regium, quod eos manet, stadium decurrentum, exilant. Hoc enim in vita mortalium ferè accidit, ut cum Imperio ipso licentia major in dies fiat; & quò plus de Regis ingenii fidere licet, è magis hac cura, & cultura ipsorum rudes adhuc animi egent. Platone (*i*) namque testante: Magna ingenia nisi rectè instituta, tantò deteriora evadunt, quantò in illis majores igniculi extiterunt. Magna enim scelerá, non ex viii natura, sed generoso ingenio, educatione corrupto, profiscuntur.

29 Et quamvis cum eodem Platone (*k*), & Clemente Alexandrino (*l*) concedamus, Deum, illorum, quos ad Imperium vocat, meliori luto solere præcordia fingere, & aurum in eorum generatione admiscere, sicuti & argentum in illis, qui auxilium, & consilium ipsis laturi sint; & in agriculis ceterisque opificis stannum, ferrum vel æs; ipsum tamen aurum, eadem etiam cultura polituraque eget, alioqui, ut Ennodius (*m*) ait: Fulvi nobilitatem metalli, nisi ad unguem manus ducat artificis, maternis penè bebetatur in tenebris; & si magistra politione non venustetur, nibil ei prodest sublimitas, quam vena concessit.

30 Cujus doctrinæ veritatem, & necessitatem agnoscentes Persarum Reges, neminem, ut Philestus Judeus (*n*) literis tradidit, Regni habenas suspicere permitebant, qui prius cum Magis Sapientibus familiariter versatus non fuisset, ipsorumque disciplinis imbutos. Quinimò, si Platonis (*o*) credimus, cuius verba latè recensent, & celebrant Petr. Crinitus (*p*), Brisson (*q*), Coningus (*r*), & alii (*s*), post eximiam curam in Regis pueris recens natis suscipiendis, & ad decimum usque quartum annum educandis, adhibebant, ubi iam ad hanc aetatem pervenerant, quatuor Praeceptores ex universo Persia deligebant, qui ceteris omnibus virtute præstarent, videlicet, Sapientia, Justitia, Temperantia, atque Fortitudine, ut ab unoquoque eorum summo studio separatim in unaquaque ex his virtutibus instruerentur. Et sapientiæ nomine Magiam comprehendebant, quæ à Zoroastre, Oromasi filio, profecta est, quæ, ut idem explicat Plato, nihil est aliud, quam Deorum cultus. Qui mos etiam apud Ægyptios invaluit, ut Reges pueros, artes Magicas, tamquam studia sanctiora edocerent, ut Alexander (*t*) ab Alexander commiserat.

31 Et hinc ansam sumpsit Philippus Macedonum Rex, sibi congratulandi, Diisque gratias agendi, non tam, quòd Alexander sibi filius natus fuisset, quam quòd eo tempore nasceretur, quo Aristotelem præceptorem, rectæque sue institutionis, & educationis auctorem sororati, & dignus Macedonico Regno evadere posset, eaque de re elegantem ad ipsum Aristotelen epistolam exaravit, cuius Plutarchus (*u*), Agellius (*x*), Elilianus (*y*), & alii (*z*) peculiarem mentionem faciunt.

32 Nec absimilis Pelei gloriatio, quòd Achillem filium haberet, qui se præcelleret, ut cui Chironem, & Phœnicem præceptores magnis præmiis adhibuerat, ad laudem suam accedere arbitratus, quicquid ex filii recta institutione virtutis auctum fuisset.

33 Et sane justissime, nam ut ait Plautus (*a*):

Probum esse patrem oportet, qui gnatum suum
Esse probiore, quam ipsus est postulat.

Et ut apud Laertium (*b*) ajevat Aristoteles, Parentes, qui liberos suos rectè instituant, honorabiliores sunt iis, qui tantum generunt, quia ab his contigit vivere, ab illis autem benè vivere.

34 Quod etiam pro præceptoribus, & paedagogis, qui rectè hoc officio funguntur, colendis, honorandis, ac remunerandis Plato (*c*), & alii benè considerant, quorum dicta Ego (*d*) alibi laxiori prosequior calamo. In quorum quidem electione quanta cura adhiberi debeat, optimè insinuavit Agasciles, cui, ut Plutarchus (*e*) refert, cum quidam diceret, mirari se, quòd cum esset avidus descendit, non adjungeret sibi Philophanem Sophistam, eo tempore celebrem,

R 2

&

- (i) Plato lib. 6. de Repub.
- (k) Plato 3. de Repub. pag. 417.
- (l) Clem. Alex. 5. Strom. cap. 2.
- (m) Ennod. dict. 3. in Dedicat.
- (n) Philo in exp. Decal. ad præcep. 6. & 7.
- (o) Plato in lib. de ingen. hom.
- (p) Crinit. lib. 1. cap. 2.
- (q) Briss. de Regn. Pers. lib. 1. pag. 79.
- (r) Coning. in Theb. pol. 2. part. cap. 21. num. 10.
- (s) Salmutius ad Panciro. 1. pag. 158.
- (t) Alex. 2. Genial. cap. 25.
- (u) Plutarc. in vita Alex.
- (x) Agel. lib. 9. cap. 3.
- (y) Elilian. de var. bist. lib. 4. cap. 19.
- (z) Fulgos. lib. 2. cap. 5.
- (a) Plaut. in Pseudolo.
- (b) Laert. lib. 5. de vit. Phil. cap. 1.
- (c) Plato in Hipp. sive de mendac.
- (d) Ego de paricid. pag. 131. & 132. ubi plures allego.
- (e) Plutarc. in Apoph.

& clarissimum; respondit prudenter, eorum se velle discipulum esse, quorum simul esset filius. Significans, non minus interesse, quos nactus sis parentes, quam quos asciscas, ut bonis moribus formeris.

35 Quod optimè etiam monuit Rex noster Alfonsus X. (f) de eadem Regum educatione agens, & ita, post alia lectu digna, concludens: Onde por todas estas razones deben los Reyes querer bien guardar sus hijos, é escoger tales Ayos, que sean de buen linage, é bien acostumbrados, é sin mala saña, é sanos, é de buen seso, é sobre todo que sean leales derechamente, amando el pro del Reino, &c.

36 Quæ omnia cum in Seneca Agripina cognovisset, expertaque esset, eum institutioni Domitii Neronis filii sui, jam ad Imperium destinati, præfecit, Ut ejus pueritiae (verbis Taciti (g) loquor) tali, & magistro adolescenter, & consilii ejusdem ad spem dominationis uterentur. In quo, ita bona electioni, & expectationi respondit eventus, ut primo sui Imperii quinque annis, quo Seneca monitis paruit, optimum & laudatissimum Principem egerit, ut Suetonius (h), & alii, qui vitas Cæsarum scripserunt, testantur.

37 Audiendus quoque erit Claudianus (i), qui sui Honorii rectam educationem collaudans, & describens, sic ait:

Reptasti per scuta puer, &c.
Mox ubi firmasti recto vestigia gressu,
Non tibi desidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos genitor permisit inerves;
Sed nova per duros instruxit membra labores.
Et cruda teneras exercuit indole vires:
Frigora sœva pati, gravis non cedere nimbis.
Æstrum tolerare jubar, transnare sonoras
Torrentum furias, adscensu vincere montes,
Planiciem cursu, valles, & concava saltu;
Necnon in clypeo vigiles perducere noctes.
In galea portare nubes, nunc spicula cornu
Tendere, nunc glandes Baleari spargere funda.

38 Et possem quidem plura de contraria effectibus bona vel prava educationis in Regum filiis exempla referre, nisi prolixus esse vererer, & Camerarius (k), & alii, me hoc labore levasse, sed pro omnibus illud sufficiet, quod de Venceslao & Boleslao, Regis Poloniae filiis, elegantissime narrat ultra alios Pater Drexelius (l), & querela, quam de male institutis Principibus Philippus Cominæus (m) his verbis proponit: Qui sunt male instituti Principes, quantum sit munus, quod acceperunt à Deo non intelligunt, & ipsorum familiares ne malam gratiam sibi concilient, dissimulant. Et ut ex omnibus fortè sit unus, qui fideliter admoneat, is tamen sue sententiae nullos habet approbatores, ac ferè sit, ut ridiculus habeatur.

39 Et benè hoc damnum pravae educationis agnoscens Dionysius Junior Siciliae Tyrannus (ut Æmilius Probus (n) recensent) cum Dionem sibi in Regno rivalem reveretur, nullam potio rem vindictam, securioremvè sui Sceptri stabilitatem invenit, quam Dionis filium parvulum, quem in sua potestate habebat, sic educare, ut otio, vino, epulis, scortisque indulgendo, turpissimis imbuueretur cupiditatibus, nullumque tempus sobrio relinququeretur. Quo effectit, ut quamquam postea Dion rerum potitus, filium à pristine vietu deducere studeret, & ad id custodes apponneret, nihil proficeret, quin potius ille, usque eo commutatum vita statum ferre non potuit, ut se superiora partæ ædium dejecerit, atque ita interierit.

EM-

(f) L. 4. tit. 7. part. 2.

(g) Tacit. lib. 12. Annal.

(h) Sueton. & alii in Neron.

(i) Claud. in 3. Cons. Honorii.

(k) Camer. 3. subciv. cap. 5.

(l) Drexel. in Trimeg. Beyerl. lit. I. pag. 147.

(m) Comin. lib. 10. pag. mibi 660.

(n) Probus in Dionys.

ARMIS, ET LITERIS.



Palladis hæc Icon una est eademque Minervæ
Nomina bina duplex munus habere dedit.
Urbibus imposita est Graiis tutela tuendis,
Lancea quas firmans, ornat, ut arma, liber:
Res decus è forti accipiet sic publica magnum,
Literis ornatur sed mage pacificis.

COMMENTARIUS.

MAnet ergo ex dictis in eo quod præcessit Emblemate, rectè & sollicitè educandos, & instituendos Principes esse. Quo verò intelligi possit, quibus in rebus instituto hæc præcipue versari debeant, presens subjicimus, ex Palladis imagine sumptum; quæ eadem & armorum, & pariter scientiarum omnium Dea, sub Minervæ nomine, ad antiquis Ethnicis colebatur; cuique, hac de causa, urbiuum suarum præsidium, & tutelam commendabant. Variè quidem illam pingentes & effigiantes, ut latè Lilius Giraldus (a), & Natalis Comes (b) observant, sed frequenter ita, ut hastam clypeo innixam una manu teneret, & librum in altera, subjectis interdum circa pedes draconem, & noctua, ut sic ostenderent, tum demum urbes incolumes esse posse, cum qui earum tutela, & gubernationi præpositi sunt, arma, oportuerit, tractare dedicerint, & ex literarum studiis talem scientiam, prudentiamque suis vigilis, & lucubrationibus acquisierint, ut justis, & locis, ac temporibus consentaneis legibus ac præceptis, Palladis instar, subiectos sibi populos regere, & tam domi, quam foris, tam in sago, quam in toga, prudenter tutari, moderarique valeant.

2 Etenim, ut cum Horatio (c) (licet aliud agente) loquar:

— Alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amicè.

Et cum in omnibus illud obtineat, quod Laertius (d) Aristipo, & Plutarchus (e) Agesilaus tribuit, scilicet, ut in his potissimum adolescentes instituantur, quæ viris usui, & decori fu-

(a) Girald. de Diis Gent. Syntagm. II.

(b) Natal. in Mithol. lib. 4. cap. 5.

(c) Horat. in Arte Poetic.

(d) Laertius lib. 2. cap. 8.

(e) Plutarc. in Apoph. Jacon. part. 1. mor. pag. 379.